



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu
peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

27. De Epiphania.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

27. De Epiphania.

Noto ex Gav. l. c. c. 7. sequentia. *Primò.*
 Matutinum inchoatur ex abrupto ab Antiphona & Psalmo. Quia visâ stellâ statim venerunt Magi, licet muto, nec loquente nuntio invitati. Omititur etiam Invitatorium ad detestandam fraudulentam Herodis, quâ is à Magis de loco Nativitatis Regis Judæorum instruit, & invitari volebat ad eum adorandum. Hymnus non cantatur primo die, quia perfectorum est canere Hymnos. Conversio verò gentium in solis Magis nondum perfecta erat. Infra Octavam verò dicitur Invitatorium nomine Magorum alios invitantium ad adorandum Christum. In principio tertii Nocturni cantatur Psalmus *Venite* ad indicandum. Quòd tempore gratiæ per tertium Nocturnum significato invitata sit Ecclesia ex gentibus congreganda per Magos & stellam. Antiphona *Venite, adoremus* sæpius repetitur tum ad designandum desiderium; ut undique omnes confluant, tum quia in lege gratiæ magis invitantur & adducuntur homines ad confitendum Deum; quam in lege naturæ & scriptâ. *2dò.* Infra Octavam pro Psalmo *Venite* substituitur alius, ne idem Psalmus bis dicatur, in Invitatorio scilicet, & tertio Nocturno. *3tò.* Si Octava Epiphaniæ incidat in Dominicam, officium de Dominica fit in Sabbatho, in qua Evangelium est de Christo duodenni, dein sequenti die de Octava, in qua Evangelium est de Christo tricenario. Nam si in eodem die

Octa-

Octavæ fieret simul commemoratio Dominicæ, ordine perverso ætatis ac vitæ Christi, quæ ab Ecclesia in officio divino per annum repræsentatur, Christus prius legèretur trigésimum vitæ annum habens, antequam repræsentetur duodennis.

28. De Septuagesima & Feria 4ta Cinerum.

NOto seqq. ex Gav. l. c. à c. 9. *Primo.* Non dicitur in Septuagesima *Alleluja* bis eo cantato & repetito in fine primarum Vesperarum. Quia in iis adhuc insinuatür gaudium humani generis ob Christum natum. Ex post autem in Septuagesima repræsentatur sine Christo humanum genus peccato Adæ per traducem obstrictum. Melius fors tibi videretur servari ordo, si Nativitati Christi præmitteretur memoria lapsus Adami, Sed quia Ecclesia conatur in omnibus servare ordinem, vel maximè debet se accommodare anni temporibus, quibus circiter fidei nostræ mysteria contingere. Quia ergo peccatum Adæ probabilius contigit circa ver, sicut & verno tempore passio & mors Christi. Hinc sicut Nativitati Christi in Decembri factæ præmittit Adventus tempore suspiria Patrum in limbb, ita & in Septuagesima memoriam peccati Adæ. Pro quo omnique originali ac actuali peccato Christus passione ac morte suâ infinitis satisfecit. Porro licet per *Te Laus tibi Domine* æquè laudetur Deus, ac per *Te Alleluja*. Primum tamen apud Latinos non est exultantis præcisè signum, sicut secundum apud Hebræos fuit,